



Jam gravior justo paullatim liquitur uda
 Et vapor irriguam solvitur in pluviam;
 Quam subter, casu postquam celeri delapsa est,
 Excipit aridulo terra inhians gremio,
 Suave croco, aut molli violæ, calthifve levamen;
 Quum ferus arentes Syrius urit agros.
 Sic ipse audito almo Heliconiadum concentu
 Protinus in suavem lætitiâ solvor;
 Quæ penitos dum per sensus dulcissima serpens
 Imis fibrarum se insinuat latebris,
 Non est me risu aut gaudens nata illa Dione
 Lætior, aut si quid lætius est Venere:
 Quod bene quum noscas, quumq; hæc mihi parta voluptas
 Non sine te (quid enim te sine profuerit
 Infita naturæ vis non exulta per artem?)
 Dic age, te pudeat num, Raymunde, mei?
 An potius videar te dignus! ubi adnuis ipse,
 Adnuet & Pindo Phœbus ab aonio;
 Ac duce sub tanto tendentem vela per auras
 Non Hyades, non me terreat Oarion.

